



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 202. Et sedentes servabant eum. v. 36.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

Domine Iesu video exemplum in te paupertatis veræ, eo quod nil tibi servare voluisti temporalium sive in vita sive in morte, sed ne quidem de vestibus disponere per testamentum, ut verè paupertatem doceres & amplecti consilium Spiritus sancti: te igitur, per hanc tuam intimam paupertatem, rogo etiam atque etiam, ut ego pauper spiritu vivam & moriar ab omnibus propter te contemptis mundi rebus, ut te quovis modo imitari valeam, & post hanc vitam frui cœli divitiis, paupertate Spiritus in præsentis sæculo emptis.

§. 202. *Et sedentes servabant eum. v. 36.*

Bene sequitur servabant eum & milites sedentes & alii circumstantes ad crucem: quid tandem moriturus ad tantam tamque injustam ignominiam sibi factam, & tormenta diceret; & quis esset futurus finis tantæ rei. Interea considerabant eiusdem mores, gestus, & verba. Alii quidem ex affectu bono erga ipsum, alii vero ex malo impulsu passionum suarum ita ut in ipsa requie ab utraque parte pateretur, Bonorum videndo dolorem, impiorum vero videndo crudelitatem.

**D**omine Iesu crucifixe propter hominem, hæream & ego ad crucem tuam cum dolorosa Matre tua & aliis tuis amicis ex pietate & desiderio tui cunctis diebus vitæ meæ observando, intuendo, meditando vitam, passionem & mortem tuam, verba, mores, gestus & doctrinam, quibus rapiat in tui solius amorem, & tandem, mei contemptum, mundi vituperium, vitæ emendationem, cœli desiderium, non sicut hi milites & alii tui adversarii, qui in tui contemptum te observant & sibi perniciem procurant.

§. 203. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. v. 37.*

Videntes Iudæorum principes, & ipse Pilatus præses innocentiam Christi suam vero iniustitiam in hac executione tam horribili, contra Christum, virum innocentem, qui & apud plebem haberetur iustus, propheta Domini, & sanctus ob vitam irreprehensibilem, mores super naturam humanam, & miraculorum multitudinem per ipsum factorum, sapientiam in verbo, & opere, excogitarunt causam executionis & mortis affligere Cruci, ut ea toti mundo pateret, & ea imbueretur, & sic per eam Iudices iniqui excusarentur ab iniustitiæ opinione, & nomine Tyrannidis ac barbaræ crudelitatis vel relatione apud Cæsarem invidiosa. Hinc causam pro non causa ponendam esse censuerunt, & Iudæorum quidem Principes sperabant, quod Pilatus positurus esset Titulum sibi valde favorabilem, ut pote in communi crimine constitutus, nempe *Hic Iesus Nazarenus se: it se Regē Iudæorum contra Cæsarem* (ad quem iure regnum Iudæorum tum temporis specta-